



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

6. Fatum Lutheranum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

vivendi licentiam, à viris religiosis correptus & graviter monitus, ut ad bonam rediret frugem, antequam inopina morte praveniretur: pro excusatione hoc adferebat: Si prædestinatus sum, nulla peccata poterunt mihi regnum cœlorum auferre: si reprobus, nulla bona opera conferre. Sed docuit illum Medicus tam animi, quam corporis, quantum à vero aberraret. Nam vocatus ad medendum in valetudini Principis, hoc ariete eum concussit: Domine, frustra me vocasti: aut enim ex hoc morbo moriturus es, aut provicturus: si prius, nihil juvabit medicina, conclamatus es; sin' posterius, sine medicamine convalebis. Cùm ille nihilominus urgeret applicationem medicinæ: posse enim fieri, ut ejus efficaciam sanitati redderetur; subintulit Medicus: rectè verò, si putas vitam corporis conservari posse adhibito pharmaco; cur non itidem credis, salutem animæ te consecuturum, si adhibeas poenitentiae sacra remedia? vicit prudentia Medici, & morbum à corpore, errorem depulit ab animo. Porrò dilemma illud sic explicandum est. Si prædestinatus sum, id est, à Deo ordinatus ad vitam æternam per certa media, quæ in mea potestate sunt, consequendam; certò consequar vitam æternam, si illa media adhibuero. Rursum si sim reprobatus, id est, si à Deo ordinatus sum ad infernum propter peccata mea, quæ liberè commissurus sum; certò damnabor, si illa peccata commiserò. Becan, lib. 3. c. 4.

VI. (f) Fatum etiam inducit Lutherus, dum contra libertatem arbitrii insurgit his verbis in assert. art. 36. Liberum arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re: quia nulli est in manu sua quippiam cogitare mali aut boni; sed omnia sub Deo sunt, contra quem nihil possumus. Quod & Poëta voluit, quando dixit: *Certa stant omnia lege.* Ex quo deducitur, nihil fieri Deo permittente, sed quæcunque fiunt, fieri Deo volente; & hanc Dei voluntatem esse rerum necessitatem. Hæc Lutherus. (g) Huic falsitati reclamant veritas per Siracidem cap. 15. *Apposuit tibi DEVS ignem & aquam: ad quod volucris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Habet nempe se liberum arbitrium instar libræ, cujus libripens est homo: balances sunt ignis & aqua, bonum & malum, præmium & supplicium, ac in utrumlibet propensio, aut utriuslibet electio. Ex libero arbitrio homo fit. 1. Similis Deo & Angelis. 2. Eminent cæteris creaturis. 3. Est dominus sui ipsius, suarumque actionum. 4. Capax est virtutis. 5. Capax est meriti. 6. Promeretur vitam & glo-

(f) Fatum Lutherianum. (g) Fatum Catholicum.

& gloriam æternam; estque libertas volendi & nolendi in anima, quod gemma in auro, velum in navi, spiritus in membris. Atque hæc de Fato.

VII. (b) Cæterum Parcæ vocantur *Themidis*, id est Præsidis iustitiæ, filiæ: quia id quod unicuique evenit, jure & pro meritis, rerumque gestarum dignitate contingit, & altissimo Dei consilio. Dicuntur autem in spelunca quadam obscura habitare solitæ, quoniam occulta sunt Dei judicia, nec statim ad sceleratorum hominum punitionem erumpentia: verum ubi opportunum vindictæ tempus accesserit, nulla neque arx munitissima, neque legio peditum aut cataphractorum equitum præsidia possunt ab homine nefario Numinis ultionem depellere, aut retardare. Mythol. lib. 3. c. 6.

(b) *Parcarum spelunca.*

SYMBOLUM LXXXIV.

Fortuna, dea cæca,

Ex variis.

Ethicè.

1. Fortuna quid? 2. Fortuna & Casus apud Aristotelem. Quid Fortuna ex mente S. Augustini? 3. Providentia Dei in temperandis sortibus. 4. Fortuna varia apud Romanos. 5. Fortunæ inconstantia. 6. Divina Providentia rerum omnium moderatrix.

Ethica.

Fortuna, quasi *Vertana*, à vertendo dicta, quòd vertat omnia, Græcis *Tyche* nominata, omnium divorum maximè quotidianis in sermonibus celebratur; penes quam omnes humanæ vitæ mutationes, omne facultatum, honorum, amicitiarum, & commodorum arbitrium non à Poëtis tantum veteribus, sed etiam Philosophis creditur. Hanc ferunt res humanas sursum ac deorsum vertere pro suo arbitrio: hanc in singulos homines jus habere: hanc civitates, regna, amicitias, cum libuerit evertere, & everfa ac jacentia erigere; iterumque florentissima ef-